



Per.
Lat
020

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse
Laptulajdonos: Katolikus Középiszkolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, XI., Fehérvári-út 13. (tel.: 269-057).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction) ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR. Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. IV. 6. (tel.: 468-099)

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1942—43: 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postalis in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium, unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse International» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit.

De festis trisaecularibus Ordinis Scholarum Piarum in Hungaria.

Trecentesimus nunc agitur annus, ex quo Ordo Scholarum Piarum Podolini, in Hungaria septentrionali prima fundamenta iecit. Tria saecula a fundatione primae huius domus Deo adiuvante feliciter peracta festam ac sollemnem nunc nobis offerunt occasionem ad fata huius ordinis rapidis saltem¹ oculis percurrenda.

Initia Podolinensia erant modestissima, sicut humiles et modesti erant etiam primi illi patres, quibus sorte datum est, ut huiusmodi initiis assisterent. Sed adiuvabat illos Dei gratia omnipotentis, fovebat S. Iosephi Calasancii, fundatoris Ordinis providens caritas, excitabat immensus amor venerandae² iuventutis, cuius educandae curam ipse Dominus illis concessit ac mandavit, cum heroicam eorum oblationem³ accipere non recusavit et per sanctam Ecclesiam suam praeter tria communia religiosorum vota eosdem etiam quarto speciali voto, sc. peculiari⁴ cura circa puerorum eruditionem adhibenda obstringi⁵ voluit. Num admiremur, quod Scholae Piae tantis virtutibus ornatae et tanta auctoritate firmatae cuncta principii, ut fit, obstantia felici successu

superaverant, imo brevi tantum augmentum ceperant, ut saeculo nondum peracto iam passim in regno viginti fere domus scholasque possiderent?

Primi provinciae patres diversis ex nationibus originem ducebant. Inveniebantur inter illos mixti Poloni, Bohemi,⁶ Moravi, Germanici et Hungari. Multiplicatis autem domibus augebatur etiam numerus sodalium Hungarorum, adeo, ut in eunte⁷ saeculo XVIII iam maiorem totius communitatis partem sodales Hungari explerent. Ex hoc tempore consideretur oportet specialis missio, quam Scholae Piae in communi vita Hungariae excolenda habuere.

Scholae Piae, utpote ordo educandae iuventuti sacer, ante oculos tenendo, quod et vates Romanus sagaci iam persenserat animo :



S. Iosephus (Calasancius) (imago altaris Scholarum Piarum Budapestinensium ornans).

¹ legalább = wenigstens = du moins ² tisztel = verehren = révérent ³ felajánlás = Anerbieten = offrande ⁴ különleges = eigentümlich = spécial ⁵ leköt = binden = lier ⁶ cseh = Böhme = Tchèque ⁷ elején = Anfang = commencement



1. Gymnasium Podolinense. 2. Franciscus Rákóczi II in Poloniam fugiens vale dicit patribus Scholarum Piarum Podolinensibus (a. 1701), apud quos hospitaliter acceptus pernoctavit (pinxit: Alfr. Huber).

*Doctrina . . . vim promovet insitam
rectique cultus pectora roborant,
utcumque defecere mores,
indecorant⁸ bene nata culpae,*

(Hor. Carm. IV. 4.)

ab ipsis incunabilis⁹ esse nobile suum officium putaverunt iuvenes in omnibus ad recte pieque vividum necessariis cum mentibus erudire, tum praesertim moribus «ad maius pietatis incrementum» informare. Qua de re nullo unquam tempore praetermittebant, quin suos alumnos nunc salutaribus verbis, nunc vero efficacibus exemplis ad summa fastigia christianae vitae conducerent. Sed ut tanto responderent officio, patres, veri educatores, primum seipsos iisdem, quibus iuventutem volebant nitere, virtutibus putabant esse ornandos. Quidam in hac parte fecerint, dicent tibi paginae sacrae historiae nationalis et litterarum, dicet tibi patria beneficiorum¹⁰ memor,¹⁰ dicent haud paucae ex illis saeculis primitiae¹¹ litterarum Hungaricarum.

Finis sequetur.

⁸ elrútít = schänden = déshonorer ⁹ bölcső = Wiege = berceau ¹⁰ hálás = dankbar = reconnaissant ¹¹ első kisértetek = Erstlinge = prémices

De speculatoribus.¹

Narratiunculae temporis aptae. Latine reddit: J. Guellino Bp.

1. Speculatores Friderici Magni. Fridericus ille Magnus, rex Prussiae,² licet parvum haberet exercitum, tamen quatuor exercitus magnos fudit fugavitque.

Quomodo hoc fieri potuit? Ita, ut Fridericus, quid hostes contra eum molirentur,³ iam antequam bellum moveretur, optime novit. Habuit enim speculatores optimos, qui eum iam tunc, quando exercitus hostium tantum ornabantur,⁴ instruebanturque,⁵ quid fieret, certiores fecerunt.

Et si Fridericus expectavisset, dum quatuor illi exercitus bene ornarentur, instruerenturque, sumptus⁶ belli iam in aerario haberent, cibaria abunde secum portarent, nemini dubium est, quin quatuor magni exercitus de uno victoriam reportassent.

Quid ergo faciendum erat? Certe non expectandum, sed bellum inferendum erat iis, priusquam

ornarentur, instruerenturque, priusquam satis sumptus ciborumque haberent, quando his omnibus indigentes magni quidem, sed tamen invalidi⁷ erant. Intulit igitur iis bellum, oppressit⁸ eos et ex pugna dretoria⁹ victor decessit.

Quod sine illis optimis speculatoribus, qui ubique omnibus rebus interfuerunt, et omnia videntes audientesque, regem statim de omnibus certiores fecerunt, certe nullo modo fieri potuit. Cum illis autem victor factus est, qui sine illis nunquam inimicos aequare potuit. *Continuabitur.*

¹ kém = Spion = espion ² Poroszország = Preußen = la Prusse ³ tervez = beabsichtigen = méditer ⁴ felszerel = ausrüsten = équiper ⁵ kiképezni = ausbilden = instruire ⁶ költség = Kosten = frais ⁷ harcképtelen = kampfunfähig = être hors de combat ⁸ meglep = überraschen = surprendre ⁹ döntő = entscheidend = décisif

Petőfi: Dudum punit iam Creator Hungarum . . .

Latine reddidit Vinc. Bors Szegedinensis.

*Dudum punit iam Creator Hungarum,
Sui ipsius futuri ignarum.
Victurus sit sorte sua contentus,
Gaudeat, an lugeat, est incertus.*

*Sed si Deus luctum huic dat genti,
Et copiam dat luctus exstinguendi.
Ubi pluris vina sunt et virgines,
Quam patriae nostrae inter hos fines?*

*Puellam in sinum meum, puellam!
Complectar ad meum amans cor illam.
Animam exsugam eius osculis,
Rationes putem meis cum malis.*

*Ubi vinum? cædo vinum, afferas;
Fundat in me scyphus suas lacrimas!
Quae ardentes sunt, ut ignis fulminum,
Accendit extinctam vitam hoc vinum!*

*Psalle, cingre, accipies praemium;
At psalle sic, ut rumpatur cor meum,
Rumpatur et gaudio et dolore . . .
Exsultatur sic Hungarico more.*

Theoprobus post vitam dissolutam¹ ad Deum conversus monasterium intrat.

Narrationis Fridczkyanae, quae «Roma aeterna» inscribitur (vide recensionem libri pag. 71 m. Maii) extrema particula. In Latinum convertit *Carolus Acs Bp.*

Theoprobus verebatur limen intrare. Dei pulcherrimum mundum pone² se in perpetuum sibi oculos et inter parietes austeros³ solis lucem in tenebras immersam videre visus est. Cum ianitor eum verbis: «Sit nomen Domini benedictum» salutans introire iussisset, vestibuli umbrā tectus evanuit. Iam sepulchro conditus⁴ sibi visus est. Nullam sibi spem in posterum relictam esse, se tantum memoriā praeteritorum temporum pasci⁵ posse. Per opus⁶ arcuatum⁶ tarde ad finem meavit, area verna⁷ solis luce non est collustrata. Nisi eum pudisset, iam iam reversurus erat. Etiam monachus eum tacitus comitabatur, proinde quasi non apud superos⁸ sit, sed iam inter inferorum umbras ambulet. At nunc ostium aperiitur; sibi nunc intandum esse ad eum, qui sibi a pueris amicus fuerit, qui hic gubernet et regat, cum ipse in suorum coetu pessum⁹ datus⁹ sit. Fauces eius exaruerunt. Se amicum pristinum non posse appellare sensit.

Benedictus nunc ipsum ex orando surrexit. Genibus nixus deum precatus erat, ut illuminaretur. Cum oculi celestis serenitate clarescentes ex conversatione¹⁰ cum deo ad terram reversi Theoprobum forte conspexissent, invito vox ex ore excidit: «Venistine Theoprobe? Salve nostrae domi, frater mi». Ista vox perculit Theoprobium animum. Se habuisse domum, liberos, amplissimas aedes, aditum ad primarios¹¹ viros, verum nusquam voces tam molliter mulcentes ad animum accidisse, quam Benedicti: «Venistine domum?» Procubuit ad pedes Benedicti: «Procul a te, Benedicte, aberraveram. Cum montem hunc ascendens ad te irem, agnum amissum inveni. Flebiliter balavit¹² matris desiderio. Vidi, ut beatus esset, cum pastor reportavit. Ego quoque modo sic perditum me sensi, sed nunc agnosco vocem tuam. Dic, quid agam, ut veram et genuinam¹³ domum reperiam?»

— Veni mecum eo, ubi Isaia prophetā teste caeci vident, surdi audiunt et muti lingua ad laudes Dei operitur, qui tibi quoque viam monstrabit.

Continuabitur.

¹ könnyelmű = leichtsinnig = négligent ² mögött = hinter = derrière ³ komor = düster = sombre
⁴ sepultus ⁵ táplálkozni = sich weiden = se nourrir ⁶ keresztfolysó = Kreuzgang = cloître ⁷ tavaszi = Frühling = de printemps ⁸ felvilág = Oberwelt = terre ⁹ tönkrement = ging zugrunde = tomber en déconfiture ¹⁰ colloquio ¹¹ előkelő = vornehm = distingué ¹² bégetett = blöken = bêler ¹³ igaz = echt = naturel

De Sepulcro Alexandri magni invento.

Ex actis diurnis «Pester Lloyd» intitulatis latine reddidit *Alexander Weber*, disc. Scholarum Piarum Bp.

Nullius certe regnatoris figura pariter decorata est fabulis, atque Alexandri Magni, de quo etiam mortuo variae res fabulosae manaverunt. Historice tantum Alexandrum Magnum anno 323-o in eunte Babyloniam, in caput imperii sui advenientem diversa consilia¹ regni exornandi¹ cepisse¹ et ibidem annum 30-um a gentem Idibus Iuniis ex

febri gravi mortem occubuisse constat. Secundum relationem² publicam cadaver Alexandri conditum³ a ductore exercituum eius Ptolomaeo, qui dominationem in Aegypto susceperat, Alexandriae sepultum fere 500 annos, usque ad saeculum III. p. Chr., in eodem mausoleo, in quo tumulatum fuit, videri potuit. Alii autem corpus eius conditum³ iussu Cleopatrae gemmas⁴ pretiosas, quas in cadavere absconditas esse audisset, surripere volentis membratim concisum et loco cadaveris pupam⁵ lineam positam esse narrant. Praeterea imperatorem Severum (193—211 p. Chr.), quo magis superstitiones⁶ ad cadaver visendum pertinentes tollerentur, requiesque perpetua heroi defuncto redderetur, aditum mausolei obsaepiri iussisse historice manifestum est. At statim postea rumores de cadavere iussu Imperatoris clam Romam ablato afferebantur, ubi demum usque ad interitum Imperii Romani Occidentalis mansisse fertur. Fama autem alia est cadaver Romā occulto Constantinopolim vectum esse Imperatore⁷ quidem Iuliano⁷ Apostatā,⁷ qui in animo habuerit mortuum cultu divino devenerandum curare. Sed etiam certum est partem illam Alexandriae, in qua monumentum muro clausum steterit, anno 272-o incendio horrido pervastatam locumque certum sepulcri in⁸ oblivionem⁸ adductum⁸ esse, praesertim, cum haec pars urbis per aliquot decennia haud refecta esset. Est tamen pro certo habendum corpus conditum incolome conservatum esse, quia ab aequalibus traditum est cadaver in quodam fornice⁹ subter humo reconditum fuisse.

¹ kiépítési tervekkel foglalkozik = sich mit Aufbau-
plänen beschäftigen = envisager le développement ² jelentés, hír = Nachricht = rapport ³ bebalzsamozni = einbalsamieren = embaumer ⁴ drágakő = Edelstein = pierre précieuse ⁵ bábú = Puppe = poupée ⁶ babona = Aberglaube = superstition ⁷ cum J. A. Imperator erat ⁸ feledésbe megye = in Vergessenheit geraten = tomber dans l'oubli ⁹ boltozat = Gewölbe = voûte



1. Pugna Alexandri Magni cum Dario Codomanno.
2. Alexander Magnus (Opus musicum ex oppido Pompeis, nunc in Museo Nationali Neapolitano).

Nunc prope Alexandriam, et loco quidem illo, ubi monumentum obsaepum stetisse creditur, reliquiae cuiusdam mausolei cum cadavere condito inventae esse nuntiantur. Monumentum autem reliquias luxūs incredibilis conservavisse dicitur. Si cadaver maximi Macedonum revera incolume adest, Cleopatra innocens accusata esse cadaveris polluti et expilati,¹⁰ Alexandri corpus Romam vel Byzantium non esse pervectum neque Iulianus mortuum divinum declaraturus fuisse videntur.

¹⁰ kifosztani = ausplündern = piller

Nuntii recentissimi.

De obitu¹ comitis² Baillet Latour. Comiti Baillet Latour, praesidi Consilii Internationalis Olympici Bruxellis «supremum vale»³ dictum esse nuntiat. Henricus e com. Baillet Latour Bruxellis anno



Milites per loca deserta in Africa camelis vehuntur.

1876-o natus legatorum officio se addixit et sic assecutus est, ut magna itinera per varias regiones orbis terrarum facere nexusque personales iungere posset. Diversa praesertim rei gymnicae genera eum delectabant. 27 annos natus socius Consilii Olympici Belgarum, anno autem 1926-o «epistates»⁴ Consilii Internationalis Olympici electus est, cui iustitiā et circumspectione eum praefuisse notum est, sed inimicitiae inter nationes obortae operam⁵ eius strenuam in ludos pro⁶imos Olympicos praeparandos collatam⁵ impederunt. Ludis autem anno 1940-o propter bellum finno-sowieticum omissis comes Baillet Latour nulli magis rei, quam ut ludos internationales gymnicos post bellum mundanum restituendos praepararet, incubuit, nisi ratione⁶ belli eum prohibuissent. A. Weber disc. Sch.P. Bp.

¹ morte ² gróf = Graf = comite ³ Ovidii Metamorph. X. 62. ⁴ praeses ⁵ tevékenységet fejt ki = Mühe verwenden = donner ses soins ⁶ körülmény = Umstand = circonstance

De Ludovico Magno. Sescentesimus iam redit anniversarius, ex quo unus ex regibus nostris potentissimis, Ludovicus Magnus (1342—1382) praesesse Hungariae incepit. Domo Anjovensi ortus est.

Pater eius Carolus Robertus fuit, qui imperio rationali usus regnum introrsus compositum et florens, extrinsecus autem auctoritate praeditum filio 17 annos agenti, Ludovico reliquit, qui auctoritatem Hungariae internis externisque rationibus¹ rei¹ publ cae¹ prosperis etiam magis auxit. Initio principatus sui ulturus² necem fratris minoris natu, bellum cont a Neapolim gessit. Pro Dalmat a quoque cum urbe Venetia in certamen descendit, ex quo bello Ludovicus victor evāsit. Polonos compluribus adiuvit, qui grato animo anno 1370 eum regem Poloniae creaverunt, itaque tum Hungaria et Polon a unitae sunt. Magnam partem paeninsulae Haemo³ subiectae occupavit. Anno 1351 legem aviticitatis⁴ tulit, qua, «Bullam Auream» sanxit, sed caput de iure hereditario bonorum ab avis acceptorum nobilitati mutavit. Agnovit imperium suum maxime incolis urbium confidere⁵ posse, ideo incrementum oppidorum privilegiis diversis promovit. Ludovico Magno regnante cultura humana progressionem celeriter assecuta est, et ars quoque ad altiorem gradum ascendit. Salubriter gubernando Hungariam civitatem unificatam exaedificavit et in ordinem regnorum magnorum Europae Mediae sustulit.

Hugo Rácz disc. Makonensis et Frid. Kreiner disc. M.-Canissanus.

¹ politica ² hogy megbosszulja = um zu rächen = pour venger ³ Balkan ⁴ ősiség = Avitizität = aviticité ⁵ támaszkodik = sich stützen = s'appuyer

Nuntii varii. Josephus Furnari dr., moderator illustrissimus ephemeridis «Alma Roma» necopinato correptus morbo, Ecclesiae Sacramentis rite munitus ac peculiari¹ Summi Pontificis benedictione recreatus piissime e vita cessit Neptuniae, die 18 Septembris. Obitum² viri doctissimi etiam nos lugemus. — Britanni magna multitudine, fere decies centenis milibus (1,000,000) militum collectis Germanos et Italos ex Aegypto Libyaeque pellere volunt. Nonis Novembribus iam ad Marsa Matrū pugna atrocissima furit. Americani autem in Algerium Mauritiamque invaserunt, quo facilius Germani Italique utrimque circumventi vincerentur. — Ludus³ pellicularis³, qui inscribitur «Pastor Angelicus» vitam et facta Summi Pontificis continens in Italia omnibus valde placuisse narratur. Catholici iam Hungariae quoque desiderio spectandi hoc spectaculum exardescunt omnes. — Lectores nostri in gymnasio Keményiano Budapestinensi nec non in Horvathiano Szentesiensi societatem IUVENTUTIS legendae causā condiderunt. Magistris Julio Ujvári et Ludovico Vasvári, qui his societatibus praesunt, de studio haud mediocri sincere gratulamur.

¹ separatim ei data ² mortem ³ vulgo: filmus

De „imagine mundi optima“.

Si «imaginem mundi» ita interpretamur, sicut homo cuiusdam aetatis mundum, quo ipse cingitur, cogitatione² sibi² fingit,² talis descriptio — etsi dumtaxat³ adumbrata⁴, — difficilis est. Nam con-

¹ klasszikus = klassisch = classique ² elképzelt = sich vorstellen = s'imaginer ³ csupán = bloß = seulement ⁴ vázlatos = skizzenhaft = esquisse

tinere debet naturae et vitae humanae explicationes et omnes nexus hominis mundique. Sed tale opus, quod artibus suscipitur, non est destinatum nostrum, itaque hic in statu physico quaestio⁵ erit.

Quomodo viderunt singulae aetates universum mundi? Universum campus infinitus esse putabatur, in quo Fabricator mundi consilio⁶ collocavit astra, statutisque curriculis uniuscuiusque, perpetuum motum dedit. Quae cogitationes constanter mutabantur.

Antiquis temporibus iam interrogatur: qualis est forma telluris? Nam tum tellus orbis esse putabatur, caelum astris ornatum tenens, itaque partes⁷ solis, stellarum⁸ errantium⁸ ceterarumque in universo mundi ignotae erant. Diu disceptabatur, utrum tellus globosa an rotunda esset, et postremo homines tellurem globosam esse dixerunt. Postea tellus immota ceteris stellis errantibus circumvolitari credebatur. (Ratio⁹ geocentralis.) Sed haec opinio quoque labefactata finem habuit. Copernicus enim post observationes saepe ita ratas rationem heliocentram explicuit. Tum homines circuitum stellarum triplicem iam sciebant: 1. Circuitus telluris annuus circum solem, et 2. diurnus circum se ipsam. 3. Circuitus lunae mensuris¹⁰ circum tellurem. De curriculo quoque stellarum multae erant opiniones. Denique Kepler curriculum stellarum ellipticum esse affirmavit. Newton autem constituit causam mutati num stellarum: mutationes enim eadem vis efficit, quae lapsum corporis.

Cognitio «microcosmi» postea homines commovit. De constructione corporum iam litterati¹¹ Graeci (Democritus) quoque rationes novissimas professi sunt. Sed haec erat magis praesensio quam scientia. Invenio microscopio, hae cognitiones physicae iam amplifica ae sunt. Sic litterati iam res arcanas naturas solvi posse crediderunt. Et hanc ob causam homo aetatis praeteritae ne cum lucerna quidem Fabricatorem maximum in universo mundi poterat invenire.

Bela Árkosi disc. gymn. Cisterciensium Bp.

⁵ vizsgólat = Untersuchung = recherche ⁶ tervszé-
rűen = planmäßig = méthodiquement ⁷ szerep = Rolle
= rôle ⁸ bolygó = Planet = planète ⁹ theoria ¹⁰ hó-
naponkénti = monatlich = mensuel ¹¹ tudósok = Gelehr-
ten = savants

LECTORIBUS MINIMIS.

locosa.

1. Ioannes parvus queritur¹ patri: «Mater mea nescit pueros educ re.» — «Cur?» — interrogat pater. «Nam in lecto² me ponit, cum nolo dormire, et excitat, cum somniculosus³ sum.»

2. Maria primum it in scholam. Magistra indicia⁴ personalia⁴ exquirat. Deinde interrogat, quot annos⁵ nata⁵ esse ipsa videatur. «Nescio, quia tantum usque ad triginta possum numerare» — respondet Maria.

3. Tres pueri pigri in sole cubant. Dominus quidam pecuniam pigerrimo promittit. Primi duo exsiliunt et petunt pecuniam. «Non vos estis pigerrimi; — respondet dominus. — Pecuniam accipiet, qui non exsiliit, ille vestrum⁶ pigerrimus est.»
Stephanus Kálmán disc. Verbőczyani Bp.

Simplicitas⁷ puerilis. Puer parvus aviam⁸ suam valde amabat et patri suo dixit: «Avia uxor mea

erit.» — Sed pater respondit: «Hoc fieri non potest, nam ea mater mea est.» — Cur non? — interrogavit patrem filius, — etiam mater mea uxor tua est, ergo mater tua uxor mea fieri potest.»

Stephanus Kovács disc. cl. II. Cisterc. Bp.

1. Magister: Quis erat Columbus? — Discipulus: Columbus avis erat. — Mag.: Avis? — Disc.: Etenim iam multum de ovo Columbi audivi.

2. Matrona interrogat coquam⁹: «Quot minuta¹⁰ coquantur ova?» Coqua respondet: «Novem minuta.» — M.: «Ego dixi tibi, ut ova tria minuta coquantur.» — C.: «Ita est, at necesse est tria ova novem minuta coquere, quia ter terna sunt novem.»

3. Pater dormire incipit. Filius exclamat: «Noli dormire, pater, nondum bibisti medicamentum¹¹ somniferum.»

4. Magister ad discipulum: «Scribe ducenties: tempore belli non licet papyro prodige¹² uti.»

Elmerus Kontor disc. Astricini (Sopron).



Aeroplanum militare in Aegypto.

1. Homo quidam parvus et gracilis¹³ videns in theatro hominem admodum¹⁴ validum suo loco sedentem: «Timeo, inquit, ne loco meo sedeas.» «Tamdiu, — respondet ille, — dum hic sedeo, non est, quod timeas.»

2. Parentes Pauli hospitem expectant, patrum¹⁵ quendam rure adventurum,¹⁶ sed pro patruo tantum telegramma venit: «Tramen¹⁷ priusquam ascendissem, profectum est, cras eodem tempore conscendam. Carolus.» Paulus, cum hoc audivit, inquit: «Quam stultus est patruus Carolus!» «Quo modo potes hoc dicere?» castigat¹⁸ pater filium. Paulus respondit: «Nam vere stultus est. Si cras eodem tempore vult conscendere tra-

¹ panaszkodik = klagen = se plaindre ² ágy = Bett = lit ³ álmos = schläfrig = endormi ⁴ személyi adatok = Personalien = état civil ⁵ éves = Jahre alt = quel âge a-t-elle ⁶ közületek = von euch = d'entre vous ⁷ naivság = Naivität = naïveté ⁸ nagyanya = Großmutter = grand-mère ⁹ szakácsné = Köchin = cuisinière ¹⁰ perc = Minute = minute ¹¹ altatószer = Schlafmittel = dormitif ¹² pazarolni = verschwenderisch sein = gaspiller ¹³ cingár = schwächlich = maigrichon ¹⁴ nagyon = sehr = très ¹⁵ nagybácsi = Onkel = oncle ¹⁶ qui advenire vult ¹⁷ vonat = (Eisenbahn)zug = train ¹⁸ korhol = tadeln = réprimander

men, rursus proficiscetur tramen, priusquam patruus conscendet.» *Julius Tóth* disc. gymn. Acad. Bp.

1. Puerulus in oedeo¹⁹ cum matre certamen²⁰ musicum²⁰ nunc primum audit. Cantrix ad²¹ symphoniam²¹ canit, magister²² autem symphoniacorum²² baculi²³ ictu a acriter numeros²⁴ signat.²⁴ Motus eius puerulus non intelligit, matrem igitur interrogat: «Cur clamitat, mater, haec matrona,, etenim senex ille baculo suo eam ne²⁵ tangit quidem?»²⁵

2. Homo in fluvium incidit, et magnā voce clamabat: «Ferte auxilium! Nescio natare!» Anglus in ripa stans: «Etiam ego nescius sum natandi, tamen non tollo²⁶ tantum clamorem.»²⁶

Aemilius Kováts disc. gymn. Archiep. Bp.

¹⁹ hangversenyterem = Konzertsaal = salle de concert ²⁰ hangverseny = Konzert = concert ²¹ zenekari kísérettel = mit Orchesterbegleitung = avec l'accompagnement d'orchestre ²² karmester = Kapellmeister = chef d'orchestre ²³ vezénylő pálcá = Taktstock = bâton de mesure ²⁴ ütomez = Takt schlagen = battre la mesure ²⁵ még csak nem is = nicht einmal = pas même ²⁶ lármát csap = Lärm machen = pousser un cri

Civis et delator.¹ Tempore Francisci I. imperatoris Austriae, et regis Hungariae Vindobonae nimis in morem venit delationes factitare. Aliquando duo cives in deversorio² sedebant rationes³ mise as iudicantes. Ad alteram mensam delator sedebat et irā fervens⁴ occasionem expectabat, ut intercedere posset. Denique alter civium declavit⁵ «impe at rem esse asinum». Delator statim exsilit, legitimationem suam ostendit, et civem comprehensum ad magistratum deducit. «Tu accusatus es — increpat⁶ unus ex magistratibus in quaestione⁶ civem — quod imperatore asinum nominavisti.» Sed civis non est perterritus et inquit: «Veniam⁷ rogo, sed ego imperatorem Gallicum Napoleonem I. cogitavi». — «Non potes me ludibrio habere, — magistratus clamat — tu non potes Napoleonem cogitare, quia ille non asinus est!»

Stephanus Majtinszky disc. Makonensis.

¹ besúgó = Polizeispion = délateur ² szálloda = Gasthof = hôtel ³ viszony = Verhältnis = condition ⁴ forrva = glühend = être bouillant ⁵ ráförmed = anschreien = faire une sortie ⁶ kihallgatás = Untersuchung = interrogaire ⁷ bocsánat = Verzeihung = pardon



Pittacium memoriae Stephani Horthy dedicatum.

Pittacium Scholarum Piarum tertium in Hungaria centenarium celebrantium.

P. B. Schelley: Hiems.

(Versus iambici).

*Marito flet nivali in arbore
Avicla mortuo,
Litus rumpit, ruit mare et
Procella ramulos.*

*Diu deserta silva frondibus,
Diu iam floraque, heus, —
Procul molaris stridulus
Gemit gyros agens.*

Convertit R. Frankl disc. cl. VIII. gymn. Mátyásföldiensis.

Imperator¹ macer et monachus² pinguis.³

Quidam imperator opibus abundans, quamquam optimā valetudine utebatur, mace rimus erat, quare hominibus pinguibus valde invidebat. Aliquando ambulans monachum pinguissimum convenit. Imperator invidiā adductus iratissime ei inclama- vit: «Quomodo sic pinguescere poteris?»

— Nescio, Serenissime⁴ Domine⁴ — respondit monachus perterritus.

— Sane ideo, quia nunquam cogitas, — dixit imperator, — id unum non patiar in illis, qui me regnante vivunt. Tentabo te. Si mihi interroganti satisfacere poteris, etiam hominem pinguem intelligentem esse demonstrabis; sed vitam vanam vives, si respondere non poteris, et tum carnificis⁵ manu statim peribis.

Monachus miserimus maximo timore affectus iam actum⁶ esse⁶ de se⁶ sentiebat, sed imperatori obloqui nolens, linguā haesitante balbutiebat:⁷ «Uti iubes, Domine imperator!»

«Quattuordecim diebus post ades⁸ in domum regiam responsurus ad haec tria interrogata, inquit denique imperator. Primum: Quanti facis⁹ me?, secundum: Quanto temporis spatio possum terram equo celerrimo circumvehi?; tertium: In quo errore versor tecum sermocinans?¹⁰ Et imperator sperans fore, ut numerus hominum pinguium quattuordecim diebus post unō deminueretur, processit. Quis potest describere maximam monachi desperationem? Qui magno maerore defixus adhuc solum stabat, cum quidam pius peregrinator¹¹ illuc venit, fere tam pinuis, quam monachus: Huic monachus calamitatem suam enarravit.

Finis sequetur.

¹ sovány = mager = maigre ² szerzetes = Mönch = moine ³ kövér = dick = gros ⁴ felség = Majestät = majesté ⁵ hóhér = Henker = bourreau ⁶ vége van = es ist aus = il es perdu ⁷ dadog = stottern = balbutier ⁸ veni ⁹ aestimas ¹⁰ cum colloquor ¹¹ zarándok = Pilger = pèlerin.

LECTORIBUS MAIORIBUS

Systema stenographiae S.-is Taylor. (6)

Ad linguam lat. accomodavit I. C. Danzer Pesthini 1802.

§. III. De significatione characterum stenographicorum. Quos supra universim exposuimus characteres stenographicos nunc singillatim, addita sua civis significatione, ordine alphabetico exhibet



tabula I. Nemo tamen existimet has significationes temere, & sine ulla ratione notis stenographicis adjectas esse. Multum enim studii & artis in iis rite ordinandis distribuendisque reconditum reperiet, qui universam ipsius postea scripturae hujusmodi structuram non minus simplicem, quam ingeniosam, paulo accuratius inspexerit.

Litterae *f* & *v*, quibus & adnumerandum est *ph*; item *g* & *j*; *k* & *q*. iisdem notis stenographicis exprimuntur, quia eodem fere efferuntur sono. Litera *c* non proprio characterere, sed pro eo, ac ejus sonus exigit, literā *k* vel *z* exprimitur. Litera *r* duplici characterere notatur: uno pure stenographico, qui est eadem linea obliqua, qua littera *d* exhibetur; hoc solum discrimine, quod haec, prout docuimus, sursum, illa vero deorsum versus ducitur; altero, litera *r* latina vulgari: hoc *r* latinum autem solummodo adhibendum est, cum omissis vocalibus, in quodam vocabulo sola consonans *r* remanet. Character vero hujus litterae pure stenographicus, tantum conjunctus cum alio quopiam characterere stenographico locum habet. Utriusque praecepti exempla in regulis specialibus dabuntur. Vide tab. III. numerum 7.

Litera *z* ponitur loco litterae *c*, si haec ante vocales *e*, *ae*, *i*, *oe*, eodem sono, quo *z* pronunciat; item & loco *t*, dum hoc ante vocalem *i* eodem sono profertur. Litera composita *ch* facili discrimine, eodem signo, quo *k* notat potuisset; sed quum illam permulti more pronunciationis graecae aspirando pronunciant, eam proprio quoque characterere designandam duximus, quo facilius sua quisque scripta relegat. Continuabitur.

Ad Julium Gyomlay (1860—1942).

Alter Homerus eras vivus: nemo melius te cognovit penitus carmina Maeonidae.
Ast alios quoque scriptores sic atque poetas Graecos Romanos tradere discipulis,
ut tu, electorum pauci potuere magistri: multas virtutes Musa tibi dedit has.
Cantando delectavisti, qui intererant tum, scribere callebas atque notas celeres.
Utque Solon¹ quondam, bene semper tu didicisti his studiis pulchris te erudiens iuvenem teque senem ornans. Nobiliter vitia omnia vitans sic sceleris purus carus erasque bonis.
Dulcis erat tibi mors sine morbo, sic oculos tu clausisti ut matris filius in gremio.
Felix tu in vita, felicem te superi nunc accipiunt ultro: sit tibi terra levis!

J. Wagner.

¹ Dictum Solonis: Γηράσκω ἀσι πολλὰ διδασκόμενος.

Librorum recensio.

Varga László: Szövegkritikai és vallásrégiségtani fejtegetések Sinai Miklós Minucius interpretációjában (Nicolaus Sinai disputationes in interpretatione Minucii ad textum et antiquitates religionis spectantes) Debrecen 1942. Pag. 53. Pretium 5 Pengoe. — Ladislaus Varga, hoc libello philologi Hungarici, Nicolaus Sinai memoriam ab oblivione vindicavit. Nicolaus Sinai (1730—1808) professor linguarum Graecae et Latinae, qui praecipue historiae ecclesiae protestantium indagandae operam suam dicabat, Minucium quoque Felicem interpretando explanavit. Quae explanatio typis nunquam vulgata in bibliotheca collegii Debreceniensis asservatur. Nicolaus Varga huius explanationis notitiam

nobis impertivit, ex qua colligitur Nicolaum Sinai iam tum codicibus, qui ei praesto esse nequiverant, non inspectis, solo mentis acumine atque ipsa rationatione praesagivisse — id quod J. Waltsing novissimus et religiosissimus Minucii editor nostris demum temporibus vidit et exsecutus est — in textu Minucii constituendo lectionibus vulgatis coniecturarum futtilium farragine posthabita standum esse. Antiquitatum vero ad religionem pertinentium eum amplissimam scientiam comparavisse et scriptorum ecclesiasticorum libros iterum atque iterum pervolutasse annotationibus ac disputationibus eius liquido confirmatur. Ladislao Varga gratiae sunt agenda maxime, quod hoc libello probe conscripto ad historiam philologiae classicae, quae vocatur Hungarorum caligini eripiendam multum adjuvit.

Car. Acs Bp.

AENIGMATA.

Solutiones aenigmatum numeri I (m. Sept.): 1. Mala, ater, lego, Aron. — 2. Remo, erit, misi, otia. — 3. Inter duos litigantes semper tertius gaudet. — 4. Menenius Agrippa. — 5. 1. Ramalia. 2. Comburo. 3. Humidus. 4. Populus. 5. Sepelio. 6. Studium. 7. Senatus. — 6. Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est. — 7. Mala nova virtute, puer, sic itur ad astra. — 8. Ramnes, arator, meraca, adorat, figura. — 9. Ager, agger.

Aenigmata recte dissolverunt ex 30 scholis 285 discipuli. Praemium ab Societate Mag. Cath. Med. Sch. donatum sorte obvenit: Antonio Andó, Stephano Avar, Thomae Falus (Berzsenyianum ex: 72 discipulis), Tiburtio Berky (Ladislainum), Carolo Perlaky (Scholae Piae: 4 d.), Mariae Revy (Angelanum: 18 d.), Georgio Hajós (gymn. IPEA), Edithae Lovich, sororibus Szabolcs (Sophianum: 40 d.), Evae Nemes (Elisabethum), Catherinae Szécsy (Theresianum), Catharinae Wohl, Magdalenae Szideczky-Kardoss (Veresianum: 42 d.), Ladislao Rostás (Toldyanum), Georgio Tóth (gymn. Cisterciensium), Belae Pukánszky (Beneictinum) Budapestinensibus; Ignatio Flórián Dombovariensi (15 d.); fratribus Horti Jászberényiensibus (3); Eugenio (Szöllösi Makonensi); Mariae Török Magno-Varadinensi (gymn. puellarum conf. Helv.: 14); Aristidae Péter Pestszentlőrinciensi (6); Andrae Faller Quinqueecclesiensi (gymn. Cisterc.: 3); Mariae Hány Scarabantinae (Ursulanum: 8); Georgio Konczos Szegedinensi (Klauzalianum: 4); Josepho Illés Sásdiensi; Marthae Mohai Gyónkiensi (8); Paulo Szontógh Agriensi (gymn. Cisterc.: 2); Julio Magyar Mosoniensi; Stephano Baranyay, Alexandro Dobay Szentesiensibus (21). Fortuna non favente praemium non obvenit discipulis Giselani (1), gymnasii conf. Helv. (2) Budapestinensibus, Scholarum Piarum M.-Canissanis (1), Maurini Papaensibus (11), Mohacsensibus.

1. Pyramis.

| | |
|-------------|---------------------|
| 1 | Vocalis. |
| 2 1 | Vado, pergo. |
| 3 2 1 | Rex bestiarum. |
| 4 3 2 1 | Olivio. |
| 5 4 3 2 1 | Aegre fero, patior. |
| 6 5 4 3 2 1 | Sacra facio. |

Geyza Tokaji disc. Makonensis.

2. Acrostichum.

| | | | | |
|---------|---------|---------|-----------|----------|
| . ovem | . tilis | . gitur | . oga | . eto |
| . bur | . era | . ane | . tsi | . evo |
| . onsul | . onor | . ter | . edeo | . utem |
| . olum | . bi | . nus | . mpune | . urtus |
| . ter | . empe | . ronus | . roelium | . ffodio |
| . etior | . oepi | . rocul | . ono | . utela |
| . ensa | . otā | . mitor | . xul | |

Litterae initiales recte inventae pentametrum pulchrum dant. Tiburtius Berky disc. Ladislaini Bp.


3. *Quadratum magicum.*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
| | | | | |
| | | | | |
| | | | | |
| | | | | |
| | | | | |

DDDEE 1. Si audes.
GLOOO 2. Aliquid odoratum facio.
OOOOO 3. Maeror, tristitia.
OORRR 4. Ex aerario pecuniam do.
RRSSS 5. Folia patris tui.

Eva Nemes disc. Theresiani Bp.

4. *Aenigma rotundum.*



Si primam litteram recte inveneris circumiens quere quintam quamque litteram, dum educatorem Romuli et Remi accipias.

Maria Finda disc. Ursulani Scarabantini.

5. *Litteris initialibus mutatis.*

Rectum, uter, nemo, ibi, natus, rana, actus, limen, ora, ango, tonus.

Litterae initiales recte mutatae nomen clarissimi rerum scriptoris Romani dant.

Ladislaus Almássy disc. Klauzalani Szegedinensis.

6. *Ex syllabis.*

- ... pus ... ris ... mur
- .. culum .. enim ... ulare
- .. pi.us ... trum ... Iustris
- .. lier .. sica .. s.
- ... talus .. men

Primae syllabae recte expletae dictum notissimum Lotharii I-i imperatoris dant.

Thomas Falus disc. Berzsenyiani Bp.

7. *Ad saltum equulei.*

| | | | | | | | | | | | |
|-----|------|------|-----|------|-----|------|------|-----|------|------|-----|
| ve | ta | sil- | iam | la- | ant | ran- | sti- | to? | | | |
| al- | rac- | des, | ni- | di- | ne- | nus | mi- | lu- | a- | tes | te- |
| Vi- | stet | can- | So- | nec- | vae | sus- | bo- | o- | flu- | con- | cu- |
| ut | te, | ti- | dum | que | na | ge- | rint | | | | |

Si recte inceperis, stropham Horatii pulchram accipies.

Andreas Darvassy disc. Barossiani Szeged.nensis.

8-9. A $\left\{ \begin{matrix} \text{Deo} \\ \text{monte} \end{matrix} \right\}$ usque ad $\left\{ \begin{matrix} \text{hominem} \\ \text{mare.} \end{matrix} \right\}$

| |
|------|
| Deus |
| |
| |
| |
| |
| |
| homo |

| |
|------|
| Mons |
| |
| |
| |
| mare |

Singulas semper litteras commuta, dum e Deo homo, e monte autem mare fiat.

I. W.

10. *Pecten.*

| | | | | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | | | | | | | |
| . | I | . | I | . | U | . | A | . | A | . | T | . | A |
| O | A | R | A | I | A | O | O | O | O | O | O | O | O |
| A | A | S | O | O | O | O | O | O | O | O | O | O | O |

1. Unica. 2. Domus. 3. Numerus 4. Non saepe. 5. Inquam, loquor. 6. Curo. 7. Mando.

*Lacuna's si expleveris.
Supremi versus litteris
Notabitur proverbium.
Quod vobis est notissimum.*

Catharina Szécsi disc. Theresiani Bp.

11. *Ex sententiis.*

- manum lavat
- .. laus, ibi multa fraus.
- cano capiti consurge.
- litigantes tertius gaudet.
- ibi patria.
- .. itur ad astra.
- nos divina providentia futura celavit.
- homines caecos efficit.
- et altera pars.
- quem cilligas.
- culpa magnum est solacium.
- mea mecum porto.
- omnia vincit.
- maior laus est, quam timeri.

Expletis his sententiis litterae initiales nomen juvenis Romani audacissimi dant.

Gabriel Tánzos disc. Cisterc. (Baja).

12. *Logogriphus.*

*Nomen idem signat summi fastigia montis
et quod onus stringit colla torosa boum.*

Fr. Palata Trebicensis (Moravia).

Nota. Lectoribus minimis: 1-5, mediis et maioribus 6-12. — Discipuli eiusdem scholae solutiones a magistro suo collectas in communi involucro epistulae ad moderatorem *J. Wagner (Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20)* mittant. (Egy-egy iskola tanulói rejtvénymegfejtéseiket közös borítékban küldjék be a szerkesztőségbe.)

Terminus solutionum: Calendae Ianuarii.

Epistolia officialia.

Corrigenda numeri 2 (m. Oct.): pag. 16: pro «Crucigrammo» lege: crucigramma. — pro «12. Coniunctio condicionalis» lege: coniunctio explicativa.

Mense Octobri aenigmata et alia opuscula *M. A. Benzze, Th. Falus, Fr. Kreiner, E. Rafael, R. Frankl, A. Darvassy, A. Weber, D. Szijjas, I. Révész, Ph. Merán, L. Almássy, M. Házy, A. Komlós, I. Kovács, T. Berky, I. Bak* ad me miserunt. Quia 3 chilogrammata manuscriptorum ad edendum apta in mensa mea scriptoria iacent, omnes socios oro, ne editionem impatienter urgeant. Sunt, qui singulis me mensibus opusculis suis cumulent. Qui momentur, ue immoesti sint neque sibi solis paginas tam paucas IUVENTUTIS occupare velint. Alii tam longas narrationes scribunt, quae minimo calculo per 4-5 menses continuatae publicari possint. At narrationes in tot partes civisae non delectant, non optantur, neque leguntur. Quare iterum omnes graviter moneo, ne longas ad me narrationes mittant.